


tum recentiores, quorum hi illis persæpè sunt clariores & faciliores.

Hæc methodus observanda est in systematis, prout nos docuit *Keckermannus* & exemplo, & præceptis suis hac de re editis. *Cl. Timplerus* sua systemata tradit per theoremata, & problemata. Si illius methodus arridet, utere, fruiere.



SECTIO VII.

De gymnasiis disciplinarum.

Talis erit ratio systematum in quibuslibet disciplinis: sequitur modus gymnasiorum.

Omnes artes sua habent Gymnasia.

Omnes enim disciplinæ sua habent gymnasia. Hoc quia est controversum, probandum est. Probo autem inductione, rem ita sese habere. Artes *παιδείας*, uti sunt logicæ illæ, habent sua gymnasia. Vide *Keckermannum*, qui tradidit Logicam per Systema & Gymnasium, Rhetoricam consimili methodo. Scientiæ & artes theoreticæ & practicæ sua etiam habent gymnasia. Rationem peto ex illo protrito: *Natura incipit, ars dirigit, usus perficit.* Exinde videre est, quòd quælibet disciplina discatur duobus mediis, naturâ & curâ. Cura illa est, vel artis, vel exercitationis. De curâ artis systemata præcipere debent. Ubi jam est cura exercitationis? Ea tradenda utique, nisi vehementer fallor, in Gymnasiis disciplinarum. Sed hoc est, quod hodie autores neglectum eunt. Sed magno & suo & discentium damno. Ego enim nunquam

quam